



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE  
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,  
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE CONCILIIS, ET|| ECCLESIA MILITANTE,|| QVATVOR LIRBRIS||  
COMPREHNSA.||

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Ingolstadii, [1599]**

**VD16 B 1607**

XIII. Nota decima.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53873](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53873)

perdicibus, quæ congregant pullos, quos non pepererunt  
cùm è contrario Ecclesia sit columba fecundissima, quæ  
quotidie parit novos pullos.

## CAPVT XIII.

## NOTA Decima.

**D**ECIMA NOTA est SANCTITAS vitæ au-  
ctorum, siue primorum Patrum nostræ religio-  
nis. Ecclesia enim vera non solum habet doctri-  
nam sanctam, & efficacem, sed etiam Doctores  
sanctos, & signorum gloria clarissimos; nunc de probitate  
postea de miraculis dicemus.

Iam ergo si quis cõsideret Magistros Ecclesiæ Catholicæ,  
primùm Patriarchas, & Prophetas, deinde Apostolos, tum  
Doctores, qui contra singulas hæreses dimicarunt, denique  
institutores ordinũ religiosorum, inueniet omnes sanctos  
sanctos, castos, pios, sobrios fuisse, vt aduersarij nihil habeant,  
quod reprehendant, nisi nimiam sanctitatem, vt B. Augu-  
stinus ait de Monachis sui temporis, lib. de moribus Ecclesiæ,  
cap. 31. & idem Augustinus lib. 2. in Iulianum de Catholici  
Doctoribus ait: *Isti sunt Episcopi, & Pastores docti, graues,  
sancti, veritatis acerrimi defensores, qui Catholicam fidem  
in lacte suxerunt, in cibo sumpserunt, cuius lac, & cibum pa-  
tris, magnisq; ministrauerunt: Talibus post Apostolos sancti  
Ecclesiæ plantatoribus, rigatoribus, adificatoribus, pastoribus  
nutritoribus creuit.* Adde, quòd Bernardum, Dominicum,  
Franciscum, sanctos fatentur fuisse, Lutherus, cap. 2. libro de  
captiuitate Babylonica, Philippus in Apologia art. 5. & 17.  
alij ex aduersariis.

At Ethnicorum Doctores fuerunt vel Poëtæ leues, vel  
Philosophi superbi, utriusque autem impurissimi; nam præ-  
cipuos sapientes Græcorum supra modum impudicos fuisse,  
ad eò vt etiam apud suos essent infames, præcipuè propter  
vitia contra naturam; testis est Athenæus lib. 13. cap. 27. & c.  
nostris Theodoretus libro de legib. & apertè etiam B. Paulus  
Rom. 1. Mahumeto autem nihil incontinentius fingi po-  
test; nam ipse in Alcorano, cap. 43. dicit se à Deo priuilegium  
accepisse coniungendi sibi omnes fœminas, quas dilexisset,  
quamuis consanguineæ essent.

De hæresiarchis plurima dici possent, sed vnum est vitium omnibus commune, superbia. Augustinus libro de pastorib. cap. 8. *Diuersis locis, inquit, sunt diuersæ, sed vna mater superbia omnes genuit, sicut vna mater nostra Catholica omnes Christianos fideles toto orbe diffusos. Et cerre nulla hæresis inuenitur ex intentione, & per se inuenta, sed per accidens ex aliqua mala occasione, vt solent monstra generari.*

De THEOBUTE primo omnium hæreticorum scribit his verbis Egesippus apud Eusebium lib. 4. hist. cap. 22. *Tunc, inquit, Ecclesia Virgo vocabatur, quia nondum fuerat adulterini Verbi subreptione corrupta: sed Theobutes quidam, quia repulsam meruit Episcopatus, cepit initio perturbare omnia, & corrumpere.*

Post hunc surrexit SIMON MAGVS, quem constat ex Actor. 8. Episcopalem auctoritatem ambiuisse, & data pecunia emere voluisse. Vbi verò exclusus fuit, hæresim nouam excogitasse, vt qui in Ecclesia non poterat, saltem extra eam principatum gereret.

Paulò post Simonem exstitit VALENTINVS, de quo sic Tertullianus libro contra Valentinianos, non procul ab initio: *Sperauerat, inquit, Episcopatum Valentinus, quia & ingenio poterat & eloquio, sed alium ex martyrii prerogativa loci potitum indignatus, de Ecclesia authentica regula abruptus, vt solent animi pro prioratu exciti presumptione & rationis accendi.*

Exoritur deinde MARCION, de quo sic Epiphanius hæ. 42. circa initium: *Aemulatione, inquit, elatus Marcion, & non accepit presidentiam, & ingressum Ecclesie, excogitat sibi ipsi consilium. Et infra: Aemulatione, inquit, igitur commotus, & ad magnam indignationem, & superbiam elatus, fissuram efficit, sibi ipsi hæresim erigens, ac dicens, Ego fundam Ecclesiam vestram, & mittam fissuram in ipsam in aeternum, & reuera fissuram inmisit non paruum; sed non Ecclesiam fidit, verum seipsum, & eos, qui ipsi obediunt.*

De MONTANO sic scribit Theodoretus lib. 3. de hæreticis fabul. *Is, inquit, ambitione, & primum locum obtinendi cupiditate motus seipsum Paracletum vocauit, &c. De NOVATIANO idem scribit ex Cornelio in epist. ad Fabianum. Euseb. lib. 6. hist. ca. 35. Refert, inquit, quod Episcopatus cupiditate, quã intra se latenter gerebat, in hac omnia deciderit.*

SABELLIVS, inquit Epiphanius hæc. 57. ad maiorem fastum ac dementiam delatus seipsum dixit esse Mosem, & fratrem suum Aaronem. ARIUS, vt ait Theodoretus lib. 4. de hæreticis fabul. in principio: *Cum esset relatus in numerum Presbyterorum Alexandrina Ecclesia, & magnum Alexandrini pontificali cathedra sedentem videret, inuidia stimulo percutus est, cumq; aduersus eum pugna committenda materiam quaereret, occasionem inuenit dogmatum impietatem.*

De hæresi Semiarianorum sic loquitur Epiphanius hæc. 73. *Itaque ad contentionem deuenerunt, inquit, idem rursus cum sodalibus suis, propter odia quadam et emulationem humanam, rixantes inter se, & de principatu litigantes.* De AERIO idem Epiphanius hæc. 75. *Cum autem, inquit, venisset Eustathius ad Episcopatum, Aërius magis concupiscebat, sed non peruenit ad ipsum: hinc oritur emulatio.* NESTORIUM scribit Theodoretus lib. 4. hæret. fabularum, magnam partem auis egisse occupando fauorem populi fusca veste, simulato pallore, compositis verbis, donec tandem ad Episcopatum peruenit. De SABBATIO item hæresiarcha scribit Soctus lib. 5. hist. cap. 20. *Quin etiam, inquit, ad ipsi scendi Episcopatum desiderio flagrabat.* Ioannem VVICLEFVM, quia Episcopus esse non potuit, hæresiarcham factum scribit Thomas VVald. lib. 2. doctr. fid. cap. 60.

Eodem modo sectas huius temporis exortas esse ambitione, superbia, inuidia, odio, aduersarij certè negari non possunt; nam initium primum omnium hæresum huius temporis constat fuisse inuidiam, & ambitionem Lutheri agrè ferentis manus promulgandarum indulgentiarum sui ordinis Monachis, ad Monachos ordinis prædicatorum translatum fuisse, vt scribit Ioannes Cochleus in actis Lutheri anno M. D. XVII. vnde (vt idem refert paulò post in actis anni M. D. XIX.) in prima disputatione, quæ Lipsiæ habita est inter Lutherum & Eckium, exclamauit Lutherus *Hac caussa nec propter Deum capta est, nec propter Deum perietur.* Idem in epistola ad Argentinenses dicit, se libenter negaturum fuisse in Eucharistia esse corpus Christi, si Scripturæ non essent tam claræ, quia ea ratione videret se multum Papatui posse incommodare.

Idem in libro contra Regem Angliæ tanta superbia iactat se, & sua, vt dicat Reges, Principes, Pontifices, &c. non esse dignos.

dignos, qui soluant suorum corrigiam calciamentorum: & se pro sancto viro velle haberi, velint, nolint homines; & se non magni facere mille Cyprianos, & mille Augustinos: & in libro de Missa angulari, vt Patrem suum esse ostenderet eum, qui est Rex super omnes filios superbiæ, dicit se à Diabolo doctum, quod Missa esset res mala, & rationibus Diaboli conuictum aboleuisse Missam. Denique tantus fuit Lutheri fastus, vt etiam à suis tolerari non potuerit: Sic enim de eo scribit Cōradus GESNERVS in vniuersali sua bibliotheca: *Illud, inquit, non est dissimulandum, Virum esse Lutherum vehementis ingenij, impatientem, & qui nisi per omnia sibi consentientes ferre nesciat. Et infra: Dominus faxit, ne contentione, & impudentia oris obsis Ecclesia sua, cuius olim crepundia tam feliciter promouit.*

Tigurini verò Ministri in responsione ad librum, quem inscripserat Lutherus contra Zvinglium, sic aiunt: *Propheta, inquit, & Apostoli, Dei gloria non priuato honori, non sua pertinacia, & superbia studebant: Lutherus autem sua quarit, pertinax est, insolentia nimia effertur, & in omnibus correptionibus suis plurimum maligni spiritus, quàm minimum verò amici, & paterni animi deprehenditur. Similes sunt Lutheri discipuli omnes, è quorum libris si iactationes, mendacia, scommata, maledicta, conuitia tollerentur, ex maximis voluminibus vix libelli perexigui effici possent.*

Quod verò attinet ad populum, sunt quidem in Ecclesia Catholica plurimi mali, sed ex hæreticis nullus est bonus; & quâquam res ipsa notissima est iis, qui norunt mores vtrorumque, tamen non est contemnendum LUTHERI testimonium ab ipsa veritate extortum: is in Postilla super Euangel. Dominicæ primæ Aduentus, sic ait: *Mundus indies fit deterior, sunt nunc homines magis vindicta cupidi, magis auari, magis ab omni misericordia remoti, magis immodesti, & indisciplinati, multoq; deteriores, quàm fuerint in Papatu.* Hæc ille. Testimonium hoc verum est, cui non ab simile est testimonium Iacobi Andreæ Smidelini in concione 4. super cap. 21. Luca, cuius concionum partem habes apud Petrum Canisum lib. 1. cap. 4. de corruptelis verbi Dei. Inter alia sic loquitur de Lutheranis suis Smidelinus: *Vt totus mundus agnoscat eos non esse Papistas, nec bonis operibus quidquam fi-*

dere, illorum etiam operum nullum exercent penitus: Ieiunij loco comessationibus, & perpotationibus nocte dieq; vacant; ubi pauperibus benigne facere oportebat, eos deglubunt & excoeriant; preces vertunt in iuramenta, blasphemias, & diuini nominis execrationes, idq; tam perditè, ut Christus ne ab ipsis quidem Turcis hodie tantoperè blasphemetur: Demum pro humilitate regnat passim superbia, fastus, elatio, atq; hoc vniuersum vite genus ab illis Euangelicū dicitur institutum. Hæc ille.

Addam & tertium testimonium ERASMI, qui & res eorum optimè nouerat, & ab eorum doctrina nō omnino abhorere visus est. Is igitur in epistol. ad Vulturium Neocomum, quam scripsit anno M.D.XXIX. *Circumspice*, inquit, *populum istum Euangelicum*, & *obserua*, num minus illic indulgeatur luxui, libidini & pecunie, quam faciant ij, qui detestamini: Profer mihi, quem istud Euangelium excomessatore, sobrium; ex feroci, mansuetum; ex rapaci, liberalem; ex maledico, benedicum; ex impudico, reddiderit verecundum. Ego tibi multos ostendam, qui facti sunt seipsis deteriores. Vide, si placet, Ioannem Cochlaeum præfatione libri de actibus & scriptis Martini Lutheri.

## CAPVT XIV.

## NOTA undecima.



UNDECIMA NOTA est GLORIA miraculorum: sunt autē duo fundamenta præmittenda. Vnum, quòd miracula sint necessaria ad nouam fidem, vel extraordinariam missionem persuadendam. Alterum, quòd sint efficacia, & sufficientia; nam ex priorē deducemus non esse apud aduersarios veram Ecclesiam: et posteriore deducemus eam esse apud nos.

Quòd igitur miracula sint necessaria probatur PRIMO Scripturæ testimonio. Exod. 4. cum Moses mitteretur à Deo ad populum, ac diceret: *Non credent mihi, neque audient vocem meam.* Non respondit Deus, debent credere, velint nolint, sed dedit illi potestatem faciendi miracula, & ait: *Vt credant, quòd apparuerit tibi Dominus, &c.* Et in nouo Testamento Matth. 10. *Euntes predicare dicentes: Appropinquauit regnum calorum, infirmos curate,* mortuos suscit